



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 45. Verum bonum amandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

mittet nobis peccata nostra, ut idem Dominus comminatus est (Matth. 6: 15.) Apostolus quoque ait, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* Tum sequitur, *noli vinci à malo, sed vince in bono malum* (Rom. 12: 20.) Ne vincamur ab hominibus, non est in nostra potestate: sed ne vincamur à malo; id in nobis positum est. A malo autem vincitur, qui mala sibi inferentes odio habet: vincit in bono malum, qui eos sincerè, & ex corde tamquam insignes benefactores diligit: & si in mala incidant, eis compatitur, eorumque necessitatibus gaudenter & liberaliter succurrit. Hanc veritatem charitatis facilis persuadet, quàm omnia sapientum argumenta. Non igitur timenda sunt mala, quæ verbis vel factis inferre nobis homines possunt; sed illa potius timenda, quæ ipsi nobis irrogamus odio erga illos, impatientiâ, & appetitu vindictæ. Sola charitas nos invincibiles, & omni malo superiores facit. *Aqua multæ adversitatum & persecutionum non poterunt extinguere charitatem, nec flamina obruent illam* (Cant. 8: 7.) Magnum autem incendium oportet esse, quod inundationibus aquarum resistit.

## §. XLV.

*Verum bonum amandum.*

**D**EUS nobis summum bonum est, quem jubemur diligere toto corde, totâ mente, totis viribus: & huc omnino tendendum est, nec aliud ultra quarendum: huc omnia consilia nostrâ referenda sunt. Amor enim summi boni omnem in se servitutum complectitur: temperantia siquidem amor est, hominem in Deo integrum & incorruptum servans: fortitudo est amor constanter omnia perferens propter Deum: justitia est amor Deo soli serviens, & cæteris, quæ sub Deo sunt, bene imperans: prudentia denique amor est ea bene discernens, quibus adjuvatur, ut ad Deum pergat, ab iis quæ illum impedire possunt. Ipsum verò summum bonum non intuitu mercedis, aut proprii commodi; sed propter se amari debet, propter suam bonitatem, quâ nihil melius esse potest, cum sit infinita, & finis omnium. Ideo perfectus Dei amor esse censetur, cum omnia bona propter ipsam amantur, à quo & per quem sunt bona: cum amatur sine modo, ita ut voluntas, licet non dæquet, saltem attingat, quantum fieri potest, summam ejus & immensam bonitatem, nullum modum vel termi-

num ponens in ejus dilectione: cum denique amatur super omnia, quia omne aliud bonum divinæ bonitati comparatû quasi nihilum reputatur. Summoperè autem cavendum est, ne sensibilibus bonorum usu & consuetudine voluntatis, vigor & energis in Dei amore sensim dissolvatur. Etenim ad æterna & intelligibilia, quia a sensibus remota sunt, tardiores sunt affectus: ad sensibilia autem incitatiores, tamen illa plaris æstimentur. Deinde natura seipsam quaerit, & cum vaserrima sit, tot fraudes, ut nos decipiat, torque recessus in quibus lateat, commiscitur; ut vix possimus laqueos ejus evitare. Sicut vas plenum accipere nequit quod non habet, nisi prius effundat, quod habet: sic malus mundi amor à nobis excludi debet, ut bono Dei amore repleamur. *Nolite diligere mundum*, inquit Apostolus, quem diligebat *JESUS, neque ea, quæ in mundo sunt* (1 Jo. 2: 15.) quibus verbis prohibemur non ita diligere ista, quæ fecit Deus, ut Creatoris obliviscamur. Pulchra videntur ista, sed quantò pulchrior est, qui fecit illa? Ita nobis tradidit Deus, ut iis propter ipsum utamur, ipso autem fruamur. Qui extra Deum bonum suum quaerit, nunquam inveniet. Qui verò Deum super omnia diligit, ab ipso quoque diligitur: & si ipse nos diligit, quid boni poterit nobis deesse? Porro ipse semper nos diliget, si ab ejus amore nunquam cessemus.

## §. XLVI.

*Amor Dei in quo consistat.*

**I**N hoc præcipuè Dei amor elucet, cum multa pro illo gaudenti animo patimur. Amare enim est pati, & magis amat, qui magis patitur. Apostoli ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine *JESU* contumeliam pati. Affectus teneri erga Deum, atque inde profilientes lacrymæ naturæ effectus sunt, quæ ad affectus proclivior est. Veræ virtutes, & solida gaudia ab amore practico, & obedienciali oriuntur. Qui enim amat, propenso animo, & summâ jucunditate, illi, quem amat, in omnibus obsequitur, non timore pœnæ, sed amore justitiæ: & si quid grave, vel durum sensibus illi præcipitur, hoc amor levissimum, & gratissimum reddit. Nec aliam ob causam Scriptura testatur (1 Ioan. 5: 3.) præcepta Domini  
N 2                   gravia